



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### **Methodvs Expeditæ Confessionis Tum pro Confessarijs, tum pro Pœnitentibus**

**Tamburini, Tommaso**

**Coloniæ Agrippinæ, 1657**

De omittente horas Canonicas, §. 4

**urn:nbn:de:hbz:466:1-41773**

§. IV.

De Omittente horas Cano-  
nicas.

12. **Q**ui, cum sit obligatus,  
de facto omittit offi-  
cium divinum totum unius diei,  
probabiliter, unum peccatum  
committit; unde sufficit, si pœ  
nitens dicat, se omisisse officium  
divinum semel, seu graviter de-  
liquisse in non recitando officio  
divino. At qui de facto omittit  
toto anno v. g. plura peccata  
committit, quot nimirum sunt  
dies anni, & omnia confiteri de-  
bet. Ratio est, quia sicuti una  
unius diei recitatio non ordina-  
tur ad aliam; ita una omisio re-  
citationis, quoad unum diem,  
ordinatur ad aliam; atque adeo  
omisiones multorum dierum  
non faciunt unum moraliter  
peccatum: At in officio unius  
diei

a Navar.  
& alii a.  
pud De  
Lug. de  
pœn. 16.  
sect. 14. n.  
546. &  
547.  
bIdem ib.



diei una hora ordinatur ad aliã,  
constantque omnes unum divi-  
num officium.

13 Sed quid de volente omit-  
tere? Respondeo, qui vult per  
unicum actum omittere offi-  
cium unius diei; unum numero  
peccatum committit: & item  
qui vult per unicum similem a-  
ctum omittere officium v. g. u-  
nius anni; unum item numero  
peccatum facit, satisque fatebi-  
tur si dicat, volui omittere offi-  
cium unius anni; non autem  
satis est dicere, Volui omittere  
officium; quia sic Sacerdos in-  
telligeret officium unius diei, ut  
supra in simili dictum est cap. 1.  
§. 9.

## §. 5.

*De Superstitione, & similibus.*

14 **S**uperstitio, quantum  
facit ad nos, duplex  
est.